

B e i t r ä g e

zur

Belehrung und Unterhaltung.

Nr.

Dresden, den 25. September 1812.

73.

In Obitum

D. F. V. R e i n h a r d i.

Auctore

C. C. H. S t o c k,

Rectore scholae Stollbergensis prope Chemnicium.

Nuper ego tristis nullo comitante peragro
Rura, animo reputans fata peracta meo.
Nox erat et circum somno devicta jacebant
Corpora, per totum lassa labore diem.
Nec volucrum gratis concentibus aura sonabat,
Sola canis latrans invigilabat hero,
Lunaque prorumpens discussa nube micabat,
Ac variis formis dissimulabat humum.
Protinus e dextris strepitus pervenit ad aures
Partibus et gelidus perculit ossa tremor.
Proveniunt Musae vestigia lenta trahentes,
Oreque divino signa doloris habent,
Risus abest labiis repletaque lumina fletu
Demissumque caput pectora nostra movent.
Sed magis obstupui, cum clara voce loquentes
Haec audirentur tristia fata queri:
Siccine liquisti corpus, R e i n h a r d e, caducum?
Siccine te rapuit mors tenebrosa tuis?
Heu, tua fecerunt funebria justa dolorem,
Qui sane ignotus mentibus ante fuit!
Invida sors adimit nobis maturius aequo
Te, qui prae multis noster amicus eras,
Et qui nostrorum studiorum captus amore
Adstiteras doctis comiter usque choris.
Nostra tuis quoties redolevit muribus ara,
Ac propriis sertis condecorata fuit!
Et quoties placida studuisti mente sodales
Agminibus nostris conciliare novos!
Ille igitur Phoebi non amplius adspicit ora,
Qui meruit nunquam mortis adire vias —
Quis lacrimas nobis absterget ab ore cadentes?
Eheu, quis poterit nostra levare mala?

Quis nostris animis solamina laeta reducet,
Funera R e i n h a r d i quae pepulere procul?
Quam nunc dejecto vultu scissisque capillis
Ingredimur dubias numina moesta vias!
Quam facies nobis lacrimis turpatur abortis!
Quantus et heu nostro pallor in ore sedet!
Talia dum lugent Musae, delapsa per auras
Candida Relligio nube nitente venit.
Cur dolor, inquit, atrox laceravit pectora nobis?
Cur non concipitis gaudia mente pia?
Quem praematura sublatum morte doletis,
Ille suis meritis praemia digna tulit.
Stelliferi coeli divina sede receptus
Possidet aeternas exhilaratus opes,
Et juvat ereptum vitae meminisse peractae,
Quae sine delictis ac sine labe fuit.
Nunc benefactorum servata scientia mentem
Recreat et curis non sinit esse locum;
Illa triumphanti melioraque fata secuto
Gaudia, quae nunquam sunt peritura, dedit.
Ne, mihi quod merita concedere praemia menti
Contigit, indignus pectora livor agat.
Ille meis etiam fuit adnumerandus amicis,
Dum mens viventis membra regebat adhuc;
Namque mea excipiens animo praecepta tenaci
Egerat assidue nil nisi grata mihi,
Ac fuit exiguo numero referendus eorum,
Qui studio intento numina nostra colunt.
Numinis excelsi quantum instillavit amorem,
Millibus exponens candida jussa Dei!
Quantaque et e labiis fluxit facundia doctis,
Nomina qua studuit concelebrare mea!
Ille vir his tantis clarus virtutibus, illic
Splendida qui ferret praemia dignus erat.
Dixerat. His monitis moestae adsensere sorores.
Nec mora, subducta est sacra caterva mihi.